

NUMMI DUO FERALES,

QUORUM ALTER TRISTEM

LUDOVICI HUNGARIÆ REGIS INTERITUM
refert, ad oppidum Mochacz suffocati: Anno Christi 1526.

alter Regis admodum desiderati refricat memoriam:

Turcâ miserabiliter Hungariam vastante,

Anno Christi 1543. &

1544.



T Solymannus Turcorum Imp. Hungariam invaderet, causas multas, interq; eas has non postremas habuit: quod Regem mollius educatum à suis contemni: niti prorsus aliorum consiliis: regnum turbis ac proditionibus domesticis agitari: ardere odiis mutuis Principes Christianos, eaque propter ad ferenda Hungaris auxilia, minus vel prom-

ptos, vel citos fore animadverteret. Collectis itaque bis centenis virorum millibus Ungariam ingreditur Anno Christi 1526. cumque Taurinum venisset, præmisit Balibeto duce equites, qui excurrando hostium agros popularentur. Rextum Budæ erat: & copias quas potuit coegit, quorum numerus 24000. excessisse negatur. Erat cum rege Georgius Zepusius, septem Castrensis præsidis frater: & Paulus Tomori homo temerarius, qui regem impulit, ac penè coegit, ut hosti obviam iret. Solymannus promotis ad Mochacz oppidum castris, æquo in loco, quia hostis numerum valdè exiguum sine ductoribus & tormentis vidit, nihil differendum statuit, sed prælium committendum. Cunctis ergo à Rege quoque per Tomori confusè ad certamen dispositis, cum aliquandiu nostros procurfationibus & le-

adeo